



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. Quando, & ubi, sive quo in loco delegatus suam jurisdictionem exercere possit, vel debeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

pellat reum, ad executionem integrè, & stabiliter perficiendâ juxta gloss. hic V. ad integrum annum. Et quamvis aliqui putent, delegatos ab inferioribus ordinariis iudicibus, ab Episcopis v. g. hanc executione sententiæ, à se late potestatem non habere, ob aliquos juris civilis textus, rectius tamen putant alii de jure civili hoc quidem non licere, ob clarum textum legis dicitur Pio ff. de judiciis, licere tamen hoc de jure canonico, prout sentit etiam glossa in c. si quis 4. V. ipsius sollicitudine, de foro competente, cui enim causa commissa est, sententur commissa omnia, quæ ad expediendam & finiendam illam causam requiruntur, nisi specialiter, & expressè aliquid reservetur; attendenda tamen in hac re controversa consuetudo, ac mandati verba.

§. IV.

Quando, & ubi, sive quo in loco delegatus suam jurisdictionem exercere possit, vel debeat?

Non habet delegatus suæ jurisdictionis exercitium aut vim ullam, nisi postquam ei præsentatum fuit delegationis mandatum, prout sumitur ex c. super ea. 12. de appellat. ita ut nullum sit, si quid egerit ante rescripti talis præsentationem, quamvis privatim sciat delegationem, sibi factam in tali casu fuisse, ad multa scilicet incommoda, & confusiones cavendas. Neque potest sine expresso consensu partium in alio loco causam cognoscere, si certus illi locus ad cognoscendum determinatus sit c. statuum 11. de rescriptis in 6. nisi potentia aut malitia adversarij, contra quem procedi debet, aut alia

rationabilis causa impediatur, quo minus securè mandatum exequi possit delegatus in loco sibi demandato, prout habetur in c. statuumus 13. h. t. in 6. ita tamen, ut in hoc posteriore casu consensus partium intervenire debeat, qui requiritur ad prorogandam jurisdictionem delegati de loco in locum, ut advertit glossa hic in notatis: & cum certus locus deputatus sit in mandato delegationis ob favorem partium, possunt huic favori suo renunciare.

SECTIO V.

De appellatione in causis delegatis.

§. I.

An, & quomodo appellari possit à iudice subdelegato, vel ab Auditore?

Appellari potest à iudice subdelegato, cui causa, vel pars causæ cognoscenda commissa est, non autem à mero Auditore, cui nudum tantum ministerium commissum est c. super questionum 27. h. t. cum enim appellatio fieri debeat à iudice gravante, consequenter non ab hoc modo execute, qui iudex non est, appellari potest (nisi mandati fines excedat, aut ne detur, iusta ex causa recusetur) potest tamen ab illo iudice subdelegato, appellari, si tamen delegatus Papæ cum clausula, appellatione remotâ, datus, subdelegatus causam, non quidem in totum, sed partem illius aliquam tantum, non poterit pars à delegato tali appellare, eo quod sine consensu partium subdelegatum dederit; poterunt tamen partes, si iusta causa recu-
sandi